

Luca Crisma – «Et eosdem fuisse legimus sacerdotes».
Illegittimità del regno e superamento della mediazione ecclesiastica in
Giovanni di Salisbury

- <1> Policraticus IV 11 : Regum scrutare historiam, ad hoc petitem regem a Deo inuenies ut praecederet faciem populi et proeliaretur bella eorum et, ad similitudinem gentium, totius populi onera sustineret. Qui tamen non fuerat necessarius, nisi et Israel praeuaricatus esset, in similitudinem gentium, ut Deo rege sibi non uideretur esse contentus. Si enim per se iustitiam coluisset, si in mandatis Domini fdeliter ambulasset, pro nichilo humiliaret Deus hostes eorum et super tribulantes eos mitteret manum suam, ut solito Dei ausilio unus persequeretur mille, et duo fugarent decem milia.
- <2> Policraticus VIII 17 : Nisi enim iniquitas et iniustitia caritatis exterminatrix tyrannidem procurasset, pax secure et quies perpetua in eum populos possedisset, nemo que cogitaret de finibus producendis. Essent etiam, sicut magnus pater testis est Augustinus, ita regna quieta et amica pace gaudentia, sicut in composita ciuitate diuersae familiae aut in eadem familia diuersae personae, aut forte, quod credibilis est, omnino regna non essent quae, sicut ab antiquis liquet historiis, iniquitas per se aut praesumpsit aut extorsit a Domino.
- <3> Policraticus VIII 18 : Ministros Dei tamen tyrannos esse non abnego, qui in utroque primatu, scilicet animarum et corporum, iusto suo iudicio esse uoluit per quos punirentur mali et corrigerentur et exercebantur boni. Nam et peccata populi faciunt regnare ypocritam et, sicut Regum testatur historia, defectus sacerdotum in populo Dei tyrannos induxit. Siquidem primi patres et patriarchae uiuendi ducem optimam naturam secuti sunt. Successerunt duces a Moyse sequentes legem, et iudices qui legis auctoritate regebant populum; et eosdem fuisse legimus sacerdotes. Tandem in furore Domini dati sunt reges, alii quidem boni, alii uero mali. Senuerat enim Samuel et, cum filii eius non ambularent in uis suis sed auaritiam et immunditias sectarentur, populus, qui fortasse et ipse meruerat ut ei tales praeesent sacerdotes, a Deo, quem contempserat, sibi regem extorsit.

- <4> Policraticus VII 19 : Ad haec dubium esse non debet quod cathedra episcopalis sanctos recipit aut sanctos facit. Nam et cum Saul inunctus esset in regem, insiliit in eum Spiritus Domini, prophetauit que et mutatus est in uirum alium. Caiphaz quoque, licet sacrilegus et qui cum Iudeis conspirauerat in necem Saluatoris, cum esset pontifex anni illius, prophetauit, ut constet ipsum ab officio prophetiae gratiam, quam demeruerat, accepisse.
- <5> Policraticus V 9 : Timor ergo initium et in timore processus est et omnium virtutum culmen, sive illud caritatem sive sapientiam dicas, non usquequaque alienum est a timore. A filiali seruire divide; in hoc initium, in illo sapientiae constitue perfectionis.
- <6> Policraticus IV 7 : Sed discipulus iste quid discit? Utique timere Dominum Deum suum. Atqui initium sapientiae, timor Domini.
- <7> Policraticus VIII 17 : Omnibus quidem qui pastoris exercent officium gratia debetur et reuerentia ; et qui Christum quacumque ratione annuntiant et lucrum faciunt, cum sua tamen et pro sua utilitate, animarum pastoribus et salutis dispensatoribus aggregentur, sintque amici, sint et venerabiles et patrum letentur honore; etsi mercennarii sunt, mercede sua ne numquam privabuntur auctore.
- <8> Policraticus IV 3 : Si vero constitutus princeps susceptum ministerium fideliter gesserit, tantus ei honor exhibendus est et reuerentia tanta, quantum caput omnis membrorum corporeis antecellit.
- <9> Policraticus V 4 : Unde et Numam Pompilium ceremonias quasdam legimus indixisse Romanis et sacrificia, ut sub immortalium deorum praetextu ad colendam pietatem religionem et fidem et cetera, quae eis intimare uolebat, ipsos facilius inuitaret. Testantur hoc ancilia atque Palladium, sacra quaedam imperii pignora; Ianus bifrons, belli et pacis arbiter; focus Vestae uirginibus consecratus, quo in honore caelestium siderum flamma custos imperii iugiter uigilaret. Sed et annus in menses duodecim

dilatatus, fastorum et nefastorum dierum uarietate depictus, pontifices, augures, et sacerdotiorum uarii ritus, quibus ita barbariem occupauit, ut ab iniuriis temperarent, feriarentur ab armis, iustitiam colerent, et ciuilem sibi inuicem impertirent affectum; eo que ferocem redegit populum, ut imperium, quod ui (ut dicitur) et iniuria occupauerat, iustitiae et pietatis legibus feliciter gubernaret. Sed quid profero Numam, cum et patres fidei nostrae ueteris legis sacrificia asserant instituta, ne in demoniorum cultu populus occupatus uerae religionis dedisceret cultum, ritu gentium sacrificia sua demoniis immolans et non Deo?

<10> Policraticus III 9 : Porro praedicti et consimiles, magni quidem et laudabiles uiri, quasi quaedam saeculorum suorum sidera splenduerunt, illustrantes tempora sua, praeambuli coetaneorum suorum in id iustitiae et ueritatis quod dispositione diuina illuxerat eis. Sic quoque in successionibus fidelis populi numquam humano generi ad noctis suae tenebras caecitatis que molestias depellendas sua sidera defuerunt, uiri quidem uirtutis titulo nobiles magnorum que operum fulgentes insignibus, quorum exemplis ad cultum iustitiae semper alii prouehantur.

<11> Policraticus V 3 : Est igitur in maiestate mirabilis, uenerabilis in sapientia, a bonitate amabilis, et hunc cultum citra omnem medietatem potest ei fidelis impendere creatura. Quid enim necesse est ad hoc, ut eum timeamus ueneremur et diligamus?

<12> Policraticus VI 24 : Vereor enim ne mendacii uel adulationis contraham notam si solus populo contradixero; sin autem, reatum uereor maiestatis ne tamquam qui os meum in celum posuerim, crucem uidear meruisse. [...] Nam stomachi in corpore et principis in re publica idem officium est iuxta illud Quinti Sereni: Qui stomachum regem totius corporis esse contendunt, uera niti ratione uidentur. [...] Noli ergo neque nostrum neque secularium principum duritiam metiri, sed omnium utilitatem attende.

<13> Policraticus IV 2 : Non ergo sine causa gladium portat quo innocenter sanguinem fundit, ut tamen uir sanguinum non sit, et homines frequenter occidat ut non incurrat nomen homicidii uel reatum.

- <14> Historia Pontificalis XXXI : Ipsum papam non esse quod profitetur, apostolicum uirum et animarum pastorem, sed uirum sanguinum qui incendis et homicidiis prestat auctoritatem
- <15> Policraticus VIII 23 : Hoc quidem est Romulo succedere in parricidiis, non Petro in commissi dispensatione ouilis.
- <16> Policraticus VIII 23 : Facinus enim schismatis quos inquinat aequat; nisi quia plerumque qui fortior immo ferocior, idem et iniquior est.
- <17> Policraticus IV 3 : Dorenses cum Atheniensibus pugnaturi de eventu proelii oracula consuluerunt, Responsum est superiores fore ni regem Atheniensium occidissent. Atheniensibus eo tempore rex Codrus erat. Qui, responso Dei et praeceptis hostium cognitis, mutato regis habitu sarmento collo gerens castra hostium ingreditur. Ibi {in} turba obsistentium a milite quem falce percusserat interficitur. Cognito regis corpore Dorenses sine proelio discedunt. Atque ita Athenienses uirtute ducis pro salute patriae morti se offerentis bello liberantur.
- <18> Epistula 122 : Eos uero in simili casu praeualuisse crebra lectione recolimus quos Gallicana recepit et fouit ecclesia, et infelicem exitum eorum quos Teutonicus inpetus introduxit. Sic obtinuerunt temporibus nostris Innocentius aduersus Petrum, Calixtus aduersus Burdinum, Vrbanus aduersus Wibertum, Paschalis aduersus tres, Albertum, Maginulfum, Theodicum, et multi similiter in diebus patrum.
- <19> Policraticus VIII 23 : Si, delictis nostris exigentibus, carnificum istorum quisquam ascenderit sedem Petri et ad gubernaculum nauis eius Domino indignante accesserit, plane naufragium non immerito faciet, cum et Petrus uocatus a Domino ad ualidiorem territum auram coeperit mergi, et nauis quae Dominum habebat uectorem de salute desperet, donec Christus dormiens precibus excitetur.
- <20> Vita Anselmi XI : Sed custos Israel, qui non dormit, quidquid humana temeritas somniaret, consilii aeterni interim sententiam dispensat; et Urbanum, qui causam viri

Dei ad petitionem tyranni distulerat, eximit rebus humanis, et praefixum diem non videat.

- <21> Policraticus IV 6 : Sed qui sunt sacerdotes Leuiticae tribus? Illi utique quos sine auaritiae stimulis, sine ambitionis impulsu, sine affectione carnis et sanguinis lex in Ecclesiam introduxit.
- <22> Epistula 187 : Sed profecto in figuram sacerdotii Deus tribum Leuiticam a publicis functionibus, sicut in Numeris legitur, immunem esse decreuit et summi tantum pontificis dispositionibus subiacere. [...] Quod si clerus in priuilegia tribus Leuiticae non succedit, et apostolus uanus est et fallaces omnes interpretes scripturarum.
- <23> Policraticus IV 6 : Sicut enim umbratilis lex et gerens omnia figuraliter sacerdotes in singularitate carnis et sanguinis praelegit, sic postquam cessantibus umbris ueritas patefacta est, et iustitia de caelo prospexit quos uitae commendat meritum et bonae opinionis odor, et unitas fidelium aut praelatorum diligens prouidentia in opus ministerii segregauit, Spiritus applicat ad Leuiticam tribum et legitimos instituit sacerdotes.
- <24> Policraticus IV 11 : Audiuimus, inuictissime rex, proelia tua, et felicitatem uictoriae ubique subsecutam. Sed quid erit homini satis cui totus non sufficit orbis? Diuitias non habemus quarum cupiditate nos debeas expugnare: omnium bona omnibus communia sunt. Esca est nobis pro diuitiis, pro cultibus et auro uilis et rara uestis. Feminae autem nostrae non ornantur ut placeant, quae quidem ornamentorum cultum potius oneri deputant quam decori. Etenim nesciunt in augenda pulchritudine plus affectare quam quod natae sunt. Antra nobis duplicem usum praestant, tegumentum in uita, in morte sepulturam. Regem habemus non pro iustitia sed pro nobilitate conseruanda. Quem enim locum haberet uindicta, ubi nulla fit iniustitia?
- <25> Policraticus IV 11 : His uerbi motus Alexander, nullam ratus uictoriam si eorum pacem perpetuam turbaret, in quiete sua dimisit. Et forte si eos bello fuisset aggressus,

minime praeualuisset aduersus innocentes, eo quod innocentia non facile superatur, et ueritas suis uiribus constans de malitia quantumuis armata triumphat.

<26> Policraticus VIII 22 : Docet haec Scriptura, cui contraire non licet. Dixerunt omnes uiri Israelis ad Gedeon: Dominare nostri tu et filius tuus et filius filii tui, quia liberasti nos de manu Madian. Quibus ille ait: Non dominabor uestri, nec dominabitur in uos filius meus, sed dominabitur Dominus. Dixit que ad eos: Vnam petitionem postulo a uobis, date michi inaures ex praeda uestra. Videor michi in huius litterae facie quod dixeram intueri. Nam Gedeon, qui interpretatur circumiens inutile uel temptatio iniquitatis eorum, nomine et uerbis uidetur principis officium indicare. Eius enim est circumire inutilia et ea uel delere uel reuocar ad frugem et quod iniquum deprehendit excludere a finibus suis, ut sibi aduersus hostes procedat uictoria. Defertur honor Domini et recusat; legi tamen subicit quos a iugo seruitutis absoluit. Patri filiorum successiuus defertur honor; at ille Deum maluit honorari.

<27> Policraticus VIII 22 : Ozias, quem litterae irrefragabiles iustum in multis fuisse commemorant, mortuo Zacharia sacerdote, cui cognomen fuit intelligens, ordinem sacerdotalem non tam pie quam audacter inuasit et reclamantibus Leuitis: Nonne tu es Ozias rex et non sacerdos? audire contempsit. Statim que lepra partem illam corporis eius inuasit quam sacerdos ex lege auri tegebat lamina, ut iuxta imprecationem propheticam facies eius ignominia repleretur.

<28> Policraticus III 1 : Quam sententiam modernorum quidam grauiter quidem et uere, licet metrica leuitate, complexus est: Vita animae Deus est, haec corporis: hac fugiente soluitur hoc; perit haec destitute Deo. Sicut ergo corpori uiuere est uegetari moueri ab anima et dispositione sui motibus animae adquiescere et ei quadam obediendi necessitate concordare, sic et anima ex eo uiuit quod suo modo uegetatur et uere mouetur a Deo et ei subiecta deuotione obtemperat et in omnibus adquiescit. Si quo minus, et eo minus uiuit. Nam et corpus qua parte sui non mouetur ab anima, iam in ea torporem mortis incurrit. Dum ergo totum uiuit ad eam, totum disponitur, quae se non per partes infundit partibus sed tota est et operatur in uniuersis et singulis, sic et Deus animam perfecte uiuentem totam occupat, totam possidet, regnat et uiget in tota.

Bibliografia essenziale

- Julie Barrau, «Ce n'est pas un miroir, ou le *Policraticus* de Jean de Salisbury», in Frédérique Lachaud, Lydwine Scordia (dir.), *Le Prince au miroir de la littérature politique de l'Antiquité aux Lumières*, Publications des Universités de Rouen et du Havre, Mont-Saint-Agnan 2007, pp. 87-111.
- Robert L. Benson, *The Bishop-Elect: A Study in Medieval Ecclesiastical Office*, Princeton University Press, Princeton 1968.
- Philippe Buc, *L'ambiguïté du Livre. Prince, pouvoir et peuple dans les commentaires de la Bible au Moyen Âge*, prefazione di Jacques Le Goff, Beauchesne, Parigi 1994.
- Luca Crisma, *De la théologie à l'ecclésiologie – Les structures religieuses de la société chez Jean de Salisbury*, tesi di dottorato (relatore : Christophe Grellard), École Pratique des Hautes Études, Parigi 2021.
- Luca Crisma, Ubi nulla fit iniustitia – *Le royaume des Brahmanes dans le Policraticus de Jean de Salisbury*, in «Cahiers de civilisation médiévale», vol. 63, n. 250-251 (2020), pp. 105-124.
- Christophe Grellard, *La religion comme technique de gouvernement chez Jean de Salisbury*, in «Cahiers de civilisation médiévale», vol. 53, n. 211 (2010), pp. 237-254.
- Christophe Grellard, Frédérique Lachaud (ed.), *A companion to John of Salisbury*, Brill, Leiden – Boston 2015.
- Christophe Grellard, Frédérique Lachaud (ed.), *Jean de Salisbury, nouvelles lectures, nouveaux enjeux*, Sismel, Firenze 2018.
- Frédérique Lachaud, *Corps du prince, corps de la republique – Écriture métaphorique et construction politique dans le Policraticus de Jean de Salisbury*, in «Micrologus» XXII (2014), pp. 171-199.
- Mario Piccinini, *Corpo politico, opinione pubblica, società politica – Per una storia dell'idea inglese di costituzione*, Giappichelli, Torino 2007.
- Diego Quaglioni, *L'iniquo diritto. "Regimen regis" e "ius regis" nell'esegesi di I Sam. 8, 11-17 e negli "Specula principum" del tardo medioevo*, in Angela De Benedictis, Annamaria Pisapia (ed.), *Specula principum*, Klostermann, Frankfurt am Main 1999, pp. 209-242.
- Mark Silk, *Numa Pompilius and the Idea of Civic Religion in the West*, in «Journal of the American Academy of Religion», vol. 72, n. 4 (2004), pp. 863-896.
- Michael Wilks (éd), *The World of John of Salisbury*, Basil Blackwell, Oxford 1984.